BIBLIA LATINA

Klosterneuburg, um 1310/1315

Seite 77v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

omni populo suo. cunctasque urbes in tempore
illo cepimus. interfectis cunctis earum habi
tatoribus. viris ac mulieribus et parvulis.
Non reliquimus in eis quicquam absque iumen
tis. que in partem venere predantium. et spoliis
urbium quas cepimus. ab aroer que est
super ripam torrentis arnon. oppido quod
in valle situm est. usque galaad. non fuit
vicus ac civitas. que nostras effugeret
manus. Omnes tradidit dominus deus noster
nobis absque terra filiorum ammon. ad quam
non accessimus. et cunctis que adia
cent torrenti ieboch. et urbibus monta
nis. universisque locis a quibus nos pro
hibuit dominus deus noster. III.
Itaque conversi ascendimus per iter ba
san. Egressusque est og rex basan in occur
sum nobis cum populo suo. ad bellan
dum in edray. Dixitque dominus ad me.
Ne timeas eum. quia in manu tua
traditus est cum omni populo suo ac
terra sua. faciesque ei sicut fecisti seon
regi amorreorum qui habitavit in esebon.
Tradidit ergo dominus deus noster in ma
nibus nostris etiam og regem basan.
et universum populum eius. percussimusque
eos usque ad internicionem. vastantes
cunctas civitates illius uno tempore. non
fuit oppidum quod nos effugeret. lx.
urbes et omnem regionem argob.
regni og in basan cepimus. Cunc
te urbes erant munite muris al
tissimis. portisque et vectibus. absque op
pidis innumeris que non habebant
muros. et delevimus eos sicut feceramus
seon regi esebon. disperdentes omnem
civitatem. virosque ac mulieres et
parvulos. Iumenta autem et spolia ur
bium diripuimus. tulimusque illo in
tempore terram de manu duorum regum amor
reorum qui erant trans iordanem. a tor
rente arnon. usque ad montem her
mon. quem sydonii sarion vocant.
et amorrei sanir. Omnes civitates
que site sunt in planitie. et universam
terram galaad. et basan usque selcha. et
edray. civitates regni og in basan. So
lus quippe og rex basan restiterat de
stirpe gygantum. et monstratur lectus
eius ferreus qui est in rabath filiorum
ammon. novem cubitos habens longitu
dinis. et quatuor latitudinis. ad men
suram cubiti virilis manus. Ter
ramque possedimus in tempore illo ab a
roer que est super ripam torrentis ar
non. usque ad mediam partem montis
galaad. et civitates illius dedi ruben
et gad. Reliquam autem galaad. et omnem
basan regni og. tradidi dimidie tri
bui manasse. omnem regionem ar
gob. Cuncta basan vocabatur terra
gygantum. Iair filius manasse pos
sedit omnem regionem argob. usque
ad terminos gessuri et machati. voca
vitque ex nomine suo basan. avoth
iair. id est villas iair. usque in presentem
diem. Machyr quoque dedi galaad.
et tribubus ruben et gad dedi terram gala
ad. usque ad torrentem arnon. medi
um torrentis et confinium eius usque
ad torrentem ieboch. qui est terminus
filiorum ammon. et planitiem solitudi
nis. atque iordanem. et terminos cenereth
usque ad mare deserti. quod est salsissi
mum. ad radicem montis phasga
contra orientem. Precepique vobis in
tempore illo dicens. Dominus deus vester
dabit vobis terram hanc in hereditatem.
Expediti precedite fratres vestros filios is
rahel. omnes viri robusti. absque uxo
ribus et parvulis atque iumentis. Novi
enim quod plura habeatis pecora. et in ur
bibus remanere debebunt. quas tradidi vobis.
donec requiem tribuat dominus fratribus
vestris sicut vobis tribuit. et possideant
etiam ipsi terram quam daturus est eis
trans iordanem. Tunc revertetur unusquisque
in possessionem suam quam dedi vobis.
Iosue quoque precepi in tempore illo dicens.
Oculi tui viderunt que fecit dominus deus